

habuerat in suo comitatu totum habebit iure sibi quieto possidendum. S. & quicquid habet in curijs liberorum suorum in substancia mobili ius eidem confero possidendi. si tamen ab inpetitione bonorum mobilium que sunt in curiis meis propriis & heredibus meis attinebunt cessare uoluerit eadem ratione. Item mulierem quandam actenüs iugo seruitutis pressam libertati restituo cuius nomen est helena. cum uno filio & tribus filiabus uel ab ea in posterum nascituris. Item pro redemtione uoti mei quo uoui me ierusalem prefecturum committo. P. uillico de forsith. XX. Marcas sterlingorum. XII. solidis in Marca computatis dandas in subsidium terre sancte. cui nichilominus pro sustentacione sua uel expensa confero pellium uariarum. VIII quadragenas & VI decades cutium quas exponet mercatoribus pro argento. In hujus rei testimonium huic carte sigillum meum appendi feci. ne quis in posterum possit hoc testamentum per me in tali necessitate factum in irritum reuocare. Datum Forsith anno domini. M°.CC°.LXX°.II°. V°. idus aprilis.

Sigillet bortfallet.

560.

1272 d. 26 Apr.

Bro.

Bisk. HENRICKS Stadga om DomProsttionden af Kanikerna i Linköping.

B. 3: 11.

Uniuersis presentes litteras inspecturis. He. dei gracia lincopensis episcopus salutem in domino ihesu christo Mota coram nobis inter dilectos filios prepositum lincopensem ex vna parte & capitulum eiusdem ecclesie ex altera. super decimis. ecclesiis parochialibus et quibusdam aliis. questione. Ex communi ipsorum petizione ac consensu super premissis propter bonum pacis et concordie quo eosdem. sicut decet membra vnius collegij in perpetuum coniungi uolumus & vniri taliter duximus statuendum ut predia que circa ipsam ciuitatem ad mensuram IIII:or thynionum propriis excolunt sumptibus & expensis canonici singuli a decimarum prestacione que perpetua ratione cure parochialis debentur libera penitus habeant & exempta & de ceteris ex integro persoluant decimas memoratas. Ne processu temporis ampliatis canonicorum ibidem prediis contingat ipsam ecclesiam parochiale enormiter ledi per totalem subtractionem decimarum Statuimus eciam pretextu huius ut canonici onus prepositi releuent facientes vicarios suos in ipsa ciuitate infirmos visitare si fuerint requisiti cum vicarij prepositi cui commissa est cura animarum tam ciuitatis quam parochie ruralis. iustis negotiis fuerint occupati Si vero contingat quemplam canonicorum plures ecclesias parochiales in ipsa obtinere vna earum de iurisdictione prepositi exempta quam eligere voluerit alias eidem subiectas nouerit pleno iure. Hec

igitur ad posteriorum noticiam scripto commendantes presentes litteras. tam sigillo nostro quam prepositi & sigillo capituli fecimus communiri. Datum bro. Anno dominj Millesimo CC.LXX secundo tercia die pasche.

561.

1272 d. 26 Apr.

Bro.

Bisk. HENRICS Stadga om Chortjensten i Linköpings Domkyrka.

B. 3: 13.

He. dei gracia lincopensis episcopus. dilectis in christo filiis. preposito. archidyacono. capitulo lincopensi & omnibus tam maioribus quam minoribus chorum lincopensem frequentantibus salutem in domino sempiternam Cum decorem domus dei non modicum honestet officiorum certa distinccio & obediencia debita statutorum. Nos uolentes ut sicut decet officium diuinum reuereriter & districte fiat in ecclesia lincopensi auctoritatem ordinandi & imponendi officium in ipsa ecclesia scolastico ex consensu & consilio capituli nostri commendamus precipientes ut cuicunque uestrum legendi uel psallendi officium imposuerit siue maior siue minor fuerit obediatur fauorabiliter & deuote cuiuscumque alterius de choro quantum ad hoc ordinacione pretermissa. Cum nimis sit indecorum & confusionem officij soleat inducere. ut quod ab illo ad quem spectare noscitur. ordinatum est. alter deordinet & conturbet Cupientes igitur ut ecclesia in officio suo ab hiis quibus sua erogat stipendia debite frequentetur. statuimus ut si quis illorum qui ad chororum ire tenentur. desidia. negligencia contemptu uel torpore depresso ab horis psallendis se substraxerint cum increpacione condigna. penam quam iniungimus sine diminucione qualibet sic exsoluant. Si de matutinis III:or denarios. si de prima. II denarios. si de tercia II denarios sj de VI:ta duos denarios si de IX:nā II denarios. si de missa IIII:or denarios. si de vesperis 4 denarios Si de completis II denarios. precipientes ut si quis ebdomadarius fuerit absentes notet & conscribat. Si vero ipsum ebdomadarium a predictis horis absentari contingat soluat duplam penam ebdomadario prioris ebdomade in notando absentes vices suas supplente. Si autem quis illorum inofficiare tenentur absens fuerit de premissis pretaxatam penam in horarum pretermissione persoluat addita tamen eiusdem tercia porcione & hec obseruari voluntus nisi hoc iustis impedimentis detenti uel de licencia scolastici pretermittant. Si vero sine licencia magistri propria quis auctoritate ciuitatem exierit secundum quantitatem more prefatam penam precipimus obseruari mandantes ut si vicarij de hiis personaliter satisfacere noluerint dominj eorundem. de salario ipsorum penam statutam secundum modum excessus deducant & persoluant adientes quod vicarij contumaces & rebelles secundum arbitrium